

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Nicolavs Copernicvs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](#)

NICOLAVS COPERNICVS
Mathematicus.



Quid tum? si mihi terra mouetur, Solq; qui escit,
Ac cœlum: constat calculus inde meus.

M. D. XLI.

NICOLAVS COPERNICVS

Toruñus Borussus, natus anno

M. CCCC LXXIII.

Mathematicarum studijs disciplinarum

eruditissimus;

Aristarchi potissimum Samij Paradoxa
secutus;

Quum Terram mobilem, Solem in medio uni-
versi immobilem, non tam re & veritate, quam
specie quadam, & saluandæ doctrinæ

lux causâ, constitueret:

Reuolutionum tabulis in lucem editis, vna
cum Canone Triangularum:

Cætera vir insigni pietate, virtute, morum
humanitate præditus;

Moritur Septuagenarius anno Salutis Chri-
stianæ M. D. XLIII.

Eteostichon.

Iosephi à Pinu.

Ex hoc excēsit tristi Copernicus auro:

Ingenio, astrorum & cognitione potens.

IN NICOLA VM COPERNICVM.
NICODEMI FRISCHLINI.

Quem cernis, viuo renitet Copernicus ore:
Cui decus eximium forme par fecit imago:
Os rubeum, pulcriq; oculi, pulcrique capilli,
Cultag; Apellæas imitantia membra figuræ.
Illum scrutanti similem, similemq; docenti
Aspiceres; qualis fuerat, quum sidera iussit
Et cœlum constare loco, terramq; rotari
Finxit, & in medio mundi Titana locauit.

N. REVSNERI.

Si par ille Deo est, oculis qui subjicit astra:
Ac loquitur pura sidera mente poli:
Par es dijs merito superis Copernice magna
Cui fuit in superas scandere cura domos.
Ingenio stellas supponis & æthera docto:
Et cœlum, & cœli pandis in orbe vias.
Felix ista dies, nato qua prima resulfit:
Conspicitur caudâ quâ Leo nocte minax.

BRVNONIS SEIDELII.

Arctoo mea clara fuit doctrina sub axe:
Est vbi Sarmatico Prussia iuncta solo.
Ipse nouâ cœli motus ratione notauit:
Certior hæc prisca regula nostra fuit.
Omnibus ac doctis hec fundamenta probauit:
At mea te quædam num Paradoxa mouent?